

CAVTVM HE^{RICI} III. G^{ILLIAM} Re-
gis Privilegio, ne qui in omnibus re-
aut in parte, quoscuque Ch^{ristianis} Plani-
nouis excuderit, aut pereres, seu correctos hu-
ros, aut adnotatos, eos iterum excudar, excodi-
excufos vendat, idque contra lexennium a quibus-
editione. Id autem hoc fine, ut ne idem
laborum fuorum, sum rramque meritis
uetur, cogaturque tamem intermittere et omi-
dabile suum munus, cum detrimendo repub.
& doctorum. Qui contra fecerit, fiat paratum
confiscationem, alias se peenae, ne multas,
Regijs Edictis continentur. Cum Regis vero, ne
bri quicquam contineat, quod vel Regi
Apostolicae Romanae, vel huius Regni Statuti ad-
Atque huius Edicti exemplar cum frontis aut ca-
que operis apponetur, nullus typographo-
bliopolarum ullam ignorantiam praeterat
Fontibellaquæ, quinta Augusti. M. D. LXXXIV.

Signa


Per Regem

De Nova

IVLII

SEVERIANI
SYNTOMATA
RHETORICES:

Nunc primùm diligentia & studio
LVCÆ FRVTERII
Brugensis in lucem edita.




ANTVERPIÆ,
Apud Christophorum Plantinum.

M. D. LXXXIV.

(B)

IV LII
SEVERIANI
SYNTOMATA
RHETORICES:

Nunc primùm diligentia & studio
LVCÆ FRVTERII
Brugensis in lucem edita.



ANTVERPIÆ,
Apud Christophorum Plantinum.

M. D. LXXXIV.

GENEROSISSIMO³

SPECTATISSIMO. QVE VIRO

MARCO LAVRINO, DOMINO

de Wateruliet Waterlant; &c.

LVCAS FRVTERIVS. S. D.

Hæc est doctorum quorundam
hominum doctissima opinio
Marce Laurine, multum &
opera, & laboris insumen-
dū, ut illa que improbo quo-
dam vetustatis ludibrio communem thea-
tri huius lucem aspicere nequiverint, hone-
sto partim desiderio, partim diligenti stu-
dio consequamur. Hoc mihi semper ut plu-
rimum placuit; ita nūc quidem eō me pro-
nexit, ut in hanc sententiam deuenerim,
posse nimirum & nostra, & aliorum in-
dustria fieri, quo ea omnia que variis in lo-
cis ociosa premeret custodia, publico tādem
assuescere discerent; neque id sanè sefellit
augurium: nuper enim dum Reuardo meo,
Gentioq; in quandam, de more Bibliotheca-
cam ituris comes adsum, ecce tibi, benigno
quodā fato in manus nostras codex quidam
insigniter antiquus incidit. hic cum esset

pulchro admodum charactere depictus, inter cetera quæ continebat opuscula, hunc nobis Iulium Severianum nihil quidem tale suspicantibus, immò etiam, ut verè dicam, inuitis obtrusit. quo authore cum propter studiosam breuitatem, tum adeò propter felix illud, & Romanum planè ingenij acumen mirum, quàm delectabar! cæpi itaque cupidè quod animus suaserat aggredi, mecumq; diligentius cogitare, è re literaria vel imprimis futurum, si Libellus hic compendiosa utilitate commendabilis, sub nominis tui felicibus auspiciis apud vulgus appareat. Cùm enim eum esse te sciam, qui antiquitatem omnem probè & calleas, & admireris, iustis admodum de causis hoc tibi quicquid est inscripturus videbar: quin immò volui ostendere quanta religione quantoq; studio affinitatem nobis à posteris datam tueri conueniat. Facies itaque & te, & Iulio nostro quàm maximè dignum, si hoc muneris ea qua datur mente accipies, (quod omnino facturū te confido) magnum cerè mihi ad maiora tentanda calcar addideris, omnèsque humanorum hominum ordines ad necessitudinem tuā adiunxeris. De authore quidem qua ætate floruerit ob-

scurius

5
scurius est quàm ut affirmari possit, quantum tamen ex stylo eiusdem colligere licet, Romanū mehercule vel deierare ansim. nā præterquam quòd Ciceronis pro M. Scauro, L. Varenò, & C. Oppio orationes aliquibus in locis citat, Licinij quoq. Calui vnam atque alterā, aliud nihilominus est quod firmius probet. Cùm enim genus potissimum Iudiciale tractet, quod primis illis temporibus propè solum in usu fuit, nemini, puto, iam dubium est, quin Iulius hic noster in antiquis Romana dexteritatis hominibus sit ponendus. & huc vsque quoad authorem nostrum. nunc ad te redeo Laurine doctissime, tibi que hoc mei erga te amoris quasi *μνημόσυνο* eo esse loco velim quod curare tibi est maximè. Vale. Brugi Flandrorum.

Tuus si pateris Lucas
Fruterius.

I V L I I
 S E V E R I A N I
 S Y N T O M A T A
 S I V E
 P R Æ C E P T A A R T I S
 R H E T O R I C Æ .

Julius Severianus Desiderio suo S.



RORSITAN me vsurpatorem ardui operis atque irriti laboris Desideri fateare, quod hunc Libellū ad te De arte dicendi scriptum miserim, cum possis auertere, nihil me Rhetorū præceptis adiunxisse, sed quæ in ipsis sparsim legeram, in quasdam sermonis angustias coartasse. Denique si hæc quisquam digna æstimet, quæ in manus sumat, reperiet ea in me de veteribus perstrinxisse, quibus cottidie ad forensē campum Adolescentia imbuta proludit. Quorum si nota vis est siluescentium videlicet præceptorum, videri certè possum plura his ademisse, quàm addidisse: namque veteres ita nobis dicendi præcepta reliquerunt, vt etiam sui nominis sempiternam memoriam † propagarent. Ergo non vilius famę cupidus, sed immensi laboris molestiā confi-

† F. propagarent

considerans, certos tibi ad compedium Gymnasij forensis tramites cōstitui, quos ad memoriam reparandam facili lectione percurreres. Aduerti præterea, (videro quid ceteri sentiant) oboesse * dicētibz Rhetoricę artis nimiam disciplinam. Memento tamen non hæc ante tibi esse Compendia relegenda, quàm ingenium tuum multa, ac Tulliana arte subegeris.

* Dicētes pro Oratoribus capi videtur. Nisi forte cassarū patronos malimus intelligere.

Oratoris artibus nemo instrui potest, nisi cui ingenium, & frequens studium est. Primum animi sit oportet quædam naturalis ad videndas, ediscendasque res potentia. Tum vox, latus, decor, valetudo, frugalitas, laboris patientia. Necessaria deinde orationum frequens lectio est, quæ nos exemplo cōformet, neque earum modò, sed & Historiarum, & Carminum, ex quibus tamen compositio dicendi non in totum trahenda est. Namque prælectiones Sapientium præcepta noscuntur, sine quibus nihil subtile, neque magnificentum cogitari potest. Iuris verò Ciuilis neque omittendum est studium, nec penitus appetendum. Nam nec rudis esse debet Orator, & si se multum Iuris scientię dederit, plurimum de cultu orationis atque impetu amittet. † Hinc & veteres Oratores legendi sunt, & præfentes audiendi, Super hæc frequenter scribendum, agendum, & declamandum est. his enim rebus Auditorum fiducia simul cum facundia comparatur. In ceteris ferè studiis verum quaritur, finis autem Oratoriæ virtutis est verisimilia dixisse, vel tan-

† F. Huic.

tum contendisse quantum res passa sit ad victoriam. Proximè quærendum est quo genere orationis vti debeat Orator, Atticorumne nobis sequenda sit actio, qui breues astrictique sunt & acres, purè inter res ipsas, aculeosque versantes, qui que affectum ex occulto petunt. An imitanda nobis sit Asiaticorum licentia, qui vagi, ac fusi rapere potius, affectibus, quàm disputationibus persuadere didicerunt. Sit tamè Romanus Orator Asiatico pressior, Attico copiosior. Ego verò ipsum Oratorem eligere arbitror, & probare genus orationis, quò magis capi Iudicem suum senserit. Aliter apud eum quem latior delectabit oratio, aliter apud eum que astrictior, aliter apud superiorem, aliter apud vacuum, aliter apud districtum. Nec sic in priuatis causis vbi semper Iudices festinant, quemadmodum in publicis, nec sic in accusationibus vt in patrociniis. Maxima itaque ars erit semper circumspicere, quid personæ, quid loco, quid tempori conueniat.

DE DISPONENDIS CRIMINIBVS.

Quidam à maximis criminibus ad leuissima gradum faciunt, aut à leuissimis ad maxima. Nos primùm æstimamus actorè quasi membra quædam facere debere, vt separet quæ ad Libidinem, quæ ad Auaritiam, quæ ad Crudelitatem, aliudve, quod ad noxæ genus pertinet, vt si non genera criminum, tempora tamen

discer-

discernat prima, vt puta quæ ante malitiam gesta sunt, quæ in malitia, quæ post malitiam. Aut seiangat ea quæ ad priuatas causas, deinde ea quæ ad publicas pertinebunt, aliudve simile: vt Cicero qui crimina Verris & in tempora, & in genera diuisit. Nam primus liber continet, quæ ante Siciliensem præturam commissa sunt. Quartor insequentes ea quæ in Prætura Siciliensi. Tum in his ipsis, Secundus ad priuatorum furta pertinet, Tertius frumentariam rationem, Quartus sacrilegia, Quintus maiestatis crimina comprehendit, deinde per ipsa vnius generis crimina imprimis magna ponit. Quæ minima sunt in medium congerantur, quæ maxima vltimis partibus reseruabis, vt de graui crimine quod à Cicero in vltimam partem dilatatum est, ita Iudicis animus & occupabitur, & validissima maxime memoriæ mandabit. Hinc est quod Cicero pro Scauro reprehendit aduersarij confusam criminationem. Ait enim, Et quoniam congesta fuit accusatio magis aceruo quodam criminum, non distinctione aliqua generum, & varietate.

DE PRINCIPIIS.

DE Principiis nihil putavi dicendum, quãdoquidem ad ea quæ arte seruanda sunt, Natura duce sapius peruenitur.

DE NARRATIONIBVS.

Narrationis certum est tres esse virtutes, vt dilucida sit, vt breuis, vt verisimilis. Dilu-

a 5

cida

Pulchra orationum in Verrem M. T. C.

cida fit si apud nescientem narres, in qua intueberis initium, medium, & finem, ita ut ipsa Narratio ordinem suum habeat. Facile enim percipitur ubi quod sequitur ex priori pendet: Interdum aliqua suo loco memoriae nostrae non occurrisse fingemus. Brevis fit si circumcisis quibusdam superfluis sola quae necessaria sunt posueris. Quaecunque enim tibi mediocriter profunt, argumentis vel disputationibus perseverabis. Verisimilis ideo ut credatur, veluti corporis robustissimi fuisse eum a quo duos vel tres occisos videri volueris. * Ad dicere etiam occasionem quae perficiendae rei fuerit, ut dicas dormientes oppressit. Personas vero nomine quibus notissima sunt nuncupabis. Si hoc † paruum est etiam aliquas notas adicies: ut Scipio Africanus, Hannibal Pœnus & similia. Nunquam Narrationem nisi perfectam reliqueris. Sed ubi Iudicem minus intellexisse perspexeris, nunquam ei tarditatem ingenij obieceris, sed ante culpam retorque quod parum dixeris. Vbi longior Narratio est quo sit dilucida magis admonere debes Iudicem quid exposueris, vel quid expositurus sis, ut, Dicam de aduersario, dixi de me. Neque alienum est ubi longior fuerit expositio vel Narratio, extrema ita finire, ut admoneas quaecunque dixeris. Verba autem Narrationis ex media consuetudine esse debent, simplex sermo & sibi vicina compositio. In expositionibus plus mora nocet, nec loquentis personam narrationi inferas. Minuit praeterea offensam longioris Orationis, si te praetermittere

* *Vetus exemplar habet adicere, quod apud antiquos in usu fuisse Festus Pompeius ostendit.*
† F. parum

terminare aliqua simulaueris. In aliquibus post quaestionem ponenda Narratio est, in aliquibus in ultimo. nam pro Natura caussarum Narratio variatur, nec semper debet Orator veterum se praecipis addicere, sed scire debet incidere nouam materiam, quae noui aliquid postulet. Narrari pro eo non expedit, qui omnia quae ab accusatore dicuntur, † tamē modo negat nec ibi se fuisse. Talis caussa Syllae fuit negantis sibi quicquam cum Catilina conuenisse contra Rempublicam. Talis ferē sunt ambitus caussarum repetundarum, in quibus vnum Rei patrocinium est, nullas se dedisse vel accepisse pecunias. Superuacua Narratio est ubi nota est res de qua ambigitur: ut nihil sit stultius, quam si apud scietes narres. Alterum genus est in quo utique, aequē superuacua Narratio est, ubi qui facit quaestionem, abunde propositionem indagare potest, etiam si ignotum est. Nec aliquam Narrationem a Cicerone omisam putemus, nisi pro Natura caussarum. edebat enim non solum patrocinia caussarum, sed exempla dicendi. Euenit ut ante sit respondendum, quam sit ponenda Narratio: ut pro Milone. Incidunt caussae quod summam habet quaestionis magna ut ex parte tractandum sit, & sic sit ponenda Narratio: ut, Prouocare non vis, pro Habito. In Narrationibus autē exponimus, probamus argumentatione. Narratio insinuatio est totius caussae quem ad modum facta est. Expositio verò quae non de caussa nascitur: ut est honesto genere natus, splendide magis gessit, non potest vi-

† F. tantummodo. i. simpliciter.

test videri narratio, sed expositio alicuius rei, quæ
causam adiuvat, nec dat quæstioni materiã, sed
pro argumento ponitur, aut inter argumenta.

DE DISPONENDIS

ARGUMENTIS.

*Asconius Pa-
dianus in pri-
mam Verri-
nam.*

*Qui defendit
alterum in
iudicio, aut
Patronus di-
citur, si Ora-
tor est, aut
Aduocatus, si
aut ius sug-
gerit, aut
presentiam
suam cõmo-
dat amico.*

Litigatores quidem instituunt argumētis Ad-
uocatos, artis Patronorum est, vt hæc dispo-
nant, figurent, ordinent, augeant, vt his affectus
intermiscuant. Imprimis videto quæ ex his sunt
valentia, vel quæ infirmiora argumēta. Nam quæ
erunt valētia longiori oratione nõ persequemur,
ne aut dubitare de his videamur, aut plura dicē-
do ponamus aliquid aduersus quod putari pos-
sit. Namque in argumentis infirmioribus versa-
tur orationis labor: qualia sunt, Occidisti homi-
nem, cruentam enim vestem habuisti. Hæc veri
similia tractu fiunt potentia. Præterea in potesta-
te habere debet Orator, vt ne causam maximam
breuiter peroret, & paruulam diu extendat, sed
cum breuiter dicendum erit, argumenta tantum
ponet sine vllis ornamentis, cum autem diu di-
cere volet, omne argumentum ornatius exequetur.
cum plura erunt argumenta à validis incipies,
in validiora defines, medium imbecillioribus
replebis, vt puta validius argumentum est
Inimicus, mediocre Ebrius, validissimum est in
rixa, Hominem occidit. Si vnum validum argu-
mētum est, & vnum friuolum, à valido incipies,
friuolum persequeris, rursus validum repetes.
Argumentatio illa melior & fidelior videri po-
test

test quæ obseruatur. Cum aliquibus partibus
causã laborat, vtilius ordinem quæstionum con-
fundimus, quas ex toto tractare nõ expedit. Scias
nunquam confitenda esse, quæ nocent, interdum
non neganda. quod Cicero pro Milone secutus
videri potest, nam interfectum ab eo Clodium
neque negauit neque fassus est. nõ negauit, quia
sic confessus est tanquam occidisset, fassus non
est, quia in scio illo dixit à seruis occisum, cum hi
dominum peremptum arbitrarentur. Præterea
vtilius existimo disputationem in speciem pau-
carum rerum & firmatum conuertere, easque
asstruere & exaggerare: potiusque est plures res
ad vnum cogere, quàm vnã in plures diuidere.
In omni materia querendum puto, quid sit quod
maximè nos foueat, aut vrgeat. illuc enim vires
suas conferre debet Orator, vt quod maximum
nouit, premat, frangat. Sed vt omne genus causæ
quiddam contra nos recipit valentissimum, sic
pro nobis omnis causã aliquid valentius habere
debet.

DE PROPOSITIONE

ADVERSARI.

Respondens autem aduersario, primùm id
quod ille posuerit verbis infirmioribus pro-
nuntiato. Quæ verò incredibilia visa fuerint, aut
imbecillia ita vniuersa ponatur, sicut ab Aduer-
sario dicta sunt: vt est illud, Bostarem igitur quæ-
dam Norensem fugientem è Sardinia Scauri
aduentum, & infra addit etiam augendi crimi-
nis causã prius illū sepultū, quàm huic cœnam
sublatam.

sublatam. Euenit vt propositionem aduersarij verbis nostris vltra fidem extollentes incredibilem faciamus, ite propositioni aduersarij, si Natura sui incredibilis fuerit, cum quodam impetu animi ac ridiculi admiratione respõdebimus: vt illud est, Septingenta milia passuum biduo cõtra sunt: & responderet, õ rem incredibilem! õ cupiditatem inconsideratam! õ nuntium volucrum! & infra, Romam trans alpes biduo veniunt. õ hominem fortunatum, qui huiusmodi nuntios seu potius Pegasos habeat! Proposito eo quod aduersarij dixerit, respõdebimus duobus modis, aut enim esse id, aut non ideo nos vinci debere. Propositis quibus responsuri sumus, querendum nobis erit an inter se comparata repugnãtia sint, vt suis armis corruant, vt Cicero de Antonio Auunculum sceleratum esse fatebatur, pœna affectum querebatur. item pro Cælio; Cur aut familiaris fuisti, vt aurum commodares, aut tam inimicus vt venenũ timeres? Similiter pro Gallio ubi accusator in se pœnas obiecit. ibi enim dum singula inter se comparat, alterum altero Tullius deluit. Item validissimum erit docere quod aduersarij dixerit etiam pro nobis esse: vt pro Milone Cicero, quod Lex promulgata de quæstione fuisset, quam ipse esse contendit. Argumentis verò omnibus aduersarij respondere non est necessarium, finem enim non habebit oratio, & satis erit propositioni repugnasse. His sanè argumētis respondendum erit, quibus erunt Iudices commoti: si verò Aduersarium suis argumentis

Cic. pro Cælio.

pro Gallio.

argumentis confutare nequiveris, aliis rationibus quod posuerit conuellito. De vitis argumentorum, quæ aduersarij malè posuerint, petere à Tullio insinuatam est.

DE STATIBVS.

STATUS tres sunt, vbi quod ante factum obiicitur negas. Coniectura est vbi quid ante factum fateris, & negas eam vim nominis habere, quam aduersarij criminatur fuisse. Finis est aut si neque de facto, neque de nomine ambigitur, sed iure factum contendis. Qualitas nominatur.

DE CONIECTVRALI.

IN Coniecturalibus causis hinc argumenta sumuntur, à personis, causis, facultatibus, verisimilibus, signis. Signum causam aut antecedit, aut in eadem est, aut sequitur. Item proferuntur auditiones, suspensiones, spolia, quæstiones, indices, fama vel opiniones & multa similia, quæ rerum varietas subministrat. A persona: vt Cicero pro Cluentio, Cum esset (inquit) egens, sumptuosus, audax, callidus, perfidiosus, & cum domi suæ miserimus & inanissimus tantum nummorum positum videret, in omnem malitiam & fraudem versare mentem suam cœpit. Causa, Satisne igitur cernitis quibus ille mercedibus, quibus emolumentis, quibus præmiis incitatus &c. Facultatibus: vt Tullius, Seruos agrestis & barbaros, quibus silvas publicas depopulatus erat, ex Apennino deduxerat, & reliqua. A verisimilibus.

milibus. Quid quod caput est: audaciæ Iudices, quis ignorat maximam illecebram esse peccandi impunitatis spem? & reliqua. A signis quæ causam antecedunt, instrumentum item & similia: Simul sunt pugna & clamor & similia. Sequuntur ut in veneficio lior & timor, in cæde vulnerus & sanguis. Auditiones: ut Tullius, Vos ex M. Fannio audistis Clodium sibi dixisse & auditis vivo Clodio periturum Milonem, post diem tertium gesta res est quam dixerat, cum ille non dubitarit aperire quid cogitarit, vos potestis dubitare quid fecerit? Suspiciones: ut pro Scauro, Quæ quidem suspicio valuit etiam ob hanc causam quod cum agerent parentalia Norenenses & reliqua. Spolia: ut est illud, Ille Deos deorum spoliis ornare voluit; hic ornamenta Minervæ Virginis in meretriciam domum transtulit, & reliqua. Quæstiones: ut est, Cum igitur de furto quaeretur, & de furto quod ille sine controversia fecerat, cum ille de eo quod neque rebatur verbum ullum fecit de veneno statim dixit, & reliqua. † Indices cum indici offe. . . . vel certe, ut est, Venit index ad Dineam matrem neque obscurus, neque incertus, qui nuntiaret ei filium eius M. Aurium vivere, & in agro Gallico esse in servitute. Fama vel opinio: ut Cicero, Opinio fuit duplex, una non abhorrens ab statu, naturaque rerum & rei argumentorum omnium enumerationibus, advertite studiosam videri, quandoquidem in his plus ingenij ius dominetur, atque ipsa magis ab Natura profecta dicitur.

Ve Co. &
Fannio &
Fauonio ag-
noscit.

† E. cum indici offerimus certitudinem.

Cic. pro Aulo Cluentio.

tur. Sed nec quisquam æstimer argumentis numerum præfinitum: siquidem tanta esse possunt, quanta Orator intento acriter ingenio reperire valuerit. Non tamen omne genus causarum omnia argumenta habet, nam quid opus est illic de causa disputare, ubi non apparet: aut de persona aduersarij aliquid dicere, cum integra sit?

DE FINE.

IN finitio statu queritur an sit imminuta maiestas puta, nam primus locus accusatoris est cum de vi nominis quaeritur, ut sit generalis eius diffinitio, brevis & aperta, & ex opinione hominum ducta: hoc modo, Maiestatem imminuere est de dignitate aut potestate P. R. aliquid derogare. Quæ diffinitio ut vera probetur, multis argumentis aut rebus, aut exemplis similibus confirmabitur: potest speciatim factum eius qui accusabitur describendo subiunge, ut id quod Reum fecisse arguis, simile sit ad id quod supra diffinieris. Ergo generalis diffinitio erit: maiestatem imminuere est de dignitate & potestate P. R. aliquid derogare. Species criminis erit † probare quod aduersariis specialiter fecerit vel dixerit, ut probetur maiestas imminuta: potest loco communi confirmare, per quem facti atrocitas cum indignatione augetur. Defensoris autem locus est aduersarij diffinitionem prius infirmare: si falsa, Ex opinione hominum aut inutilis monstrabitur.

† Aliàs ostendere.

b

tur

tur post suam diffinitionem; aut si vera, ponere quæ multa argumentatione & exemplis similibus confirmabuntur. deinde suscepti factum ab ipsa diffinitione dissimile esse ostendere; post locum communem subiicere, per quem indignabimur accusatorem non res solum, sed & verba in perniciem innocentis conuertere. Sic Cicero pro Quintio aduersarij definitionem ex opinione hominum reprehendit. Si qui vnum aliquem fundum quauis ratione possideat, ipsum autem dominum patiatur cetera prædia tenere, is, ut opinor, inquit, prædium non bona alterius videatur possidere. Exponit definitionem suam, Quid est, inquit, possidere? nimirum in possessione esse earum rerum, quæ possunt eo tempore possideri. Probat Neuium non bona sed prædiū possedisse. Cum domus erat, inquit, Romæ, serui in ipsa Gallia, priuata P. Quintij prædia quæ nunquam ausus es possidere: & colligit. Quod si bona P. Quintij possideres, possidere omnes eo iure debere. At si factum aduersarij tutò definire nequiueris, & verborum tuorum laqueos infirmari posse conspexeris, rem ipsam tanquam indignam Iudici demonstrabis.

DE QUALITATE.

IN qualitate per Coniecturam quæritur quale sit, hoc est vtrum iure factum sit, an iniuria.

DE

DE AFFECTIBVS.

RAro affectus Narrationibus interponuntur: quia non nisi grauium causarum sunt; sed vbi inferi possunt, magnum pondus rebus accommodant. vbi verò aliquem affectum, hoc est aut inuidiam, aut misericordiam, vel quid simile commouemus, formam vel speciem Narrationis excedere non debemus; sed affectus qui in Narratione latebit, eadem explicata reddendus erit atq. exsequendus. Euenit vt sit narratio, quæ inter se locos cõmunes partiatur, quos affectus vocamus, qui non erunt in vltimum, hoc est post narrationem differendi: sed hæc narratio grauissimi criminis erit, in qua cum se primum affectus obtulerint, statim interponendi sunt. Neq. enim possunt simul omnes post narrationem reddi: vt est, Prædonum Dux Heracleo repente præter spem classẽ pulcherrimam P. R. cum primùm inuesperasceret, inflammari incendiq. iussit. Ac mox interponit affectum, O tempus miserum atq. acerbum prouinciæ Siciliae! ô casum illum multis innocētibus calamitosum! ad narrationem redit, Afferitur, inquit, noctu intempesta cladis huiusce nuntius Syracusas. rursum dum narrat excedit, Quò neque Atheniensium, inquit, gloriosissimæ classes, cū mari plurimum poterant, &c. rursum ad Narrationem redit, Eò, inquit, pirata penetrauit, quò simulatque adisset, non modò à latere, sed & à tergo magnam

b 2

partem

partem urbis relinquebat. rursum excedit, Siculone milites aratorumve liberos, quorum patres tantum labore suo frumenti exarant, ut P. R. totique Italiae sufficeret. & item aliter excedit, ô spectaculum miserum, atque acerbum! ludibrio esse urbis gloriam? ad narrationem redit, Postquam è portu, inquit, piratae non metu aliquo affecti, sed satietate exierunt, &c. Plerique nuda argumenta posuerunt, affectus autem perorationibus, hoc est, Epilogis referuarunt. Scire autem nos debemus, affectus qui ex quaestionibus nascuntur statim, ut propositioni responsuri sumus, esse reddendos: alibi enim quam ubi nati sunt, interponi vel augeri non possunt: ut est, In vadium non venit Quintius. & statim interponitur affectum antequam quaestioni respondeat, Si res, inquit, ista grauiissima sui sponte videretur, tamen necessitudinis nomine leuaretur. & reliqua talia sunt. Affectus verò qui de omni causa nascuntur perorationibus referuabuntur. Omnis penè argumentatio moralem disputationem recipit, sed omnino omnium affectum. Moralis argumentatio de natura hominum vel morum consuetudine ducitur: ut Cicero, Hic ego dubitem in eam disputationem ingredi, quae ducatur ex natura hominum atque omnium sensibus: & omnia quae sequuntur. Ergo sicut argumentatio illa melior erit, quae moralis fuerit; sic perorationes affectu fiunt meliores. Cicero sanè per omnem orationem affectum inserit.

nam

nam odio Clodij Iudices turbat, euersam fuisse R. P. sed prius Milone occiso, qui obstabat. Affectus namque hi sunt, Ira, odium, misericordia, lior, metus, spes. Odium siue ira ex antea acta vitæ facinoribus colligitur, quorum commemoratio ad hoc fit iudicio; non ut exinde nasci videatur, sed ut odiosa vita hominis comprobetur: ut Cicero, qui flagitia Clodij superioris vitæ retexit. Cuius nefandum, inquit, adulterium, in puluinaribus sanctissimae feminae comprehenderunt eum, cuius supplicio Senatus saeculæ religiones expiandas saepe censuit, eumque cum sorore germana nefandum stuprum fecisse. & quae sequuntur. Ira cum odio, cum multa crimina congerimus: ut Cicero, non furem sed ereptorem, non adulterum sed expugnatorem pudicitiae, &c. Quod in principiis saepius irritatur, misericordiam mouemus, si ab his nos impugnari dicimus, quorum auxilio tuti esse debemus: ut Cicero pro Oppio, vel cum alicuius calamitates commemoramus, cum magnitudinem periculi ostendimus: sicuti pro Cornelio Cicero, Liuorem autè simul cum odio: ut Caluus in Vatinius, cum dicit, Hominem nostrae ciuitatis audacissime de factione diuitem, fordium, maledicum, accusatorem. nam & de factione diuitiae quaesitae interpositae sunt, ut his Iudices inuiderent. Metum facere Cicero tentat in Verrem, cum ait, Quis hæc non perspicit, præclare nobiscum actum iri, si P. R. istius

*Cicero pro
Oppio.
Cic. pro Cor
nel. Balbo.
Licinius
Caluus in
Vatinius.*

vnius supplicio contentus fuerit? & quæ sequuntur. Non est in hoc, inquit, peccandi locus, Iudices. confirmat enim aliis iudicibus damnari Verrem, & Senatū iudicādi potestatem amissurum. ad spem redit in eodem loco. Adduxi eum hominem, in quo reconciliare existimationem iudiciorum amissam, redire in gratiam cum P. R. satisfacere exteris nationibus possētis, de quo si seuerè ac religiosè iudicaueritis, auctoritas quæ in vobis manere debet, hærebit. Contra dicenda erunt, ne specie miserationis, ne ira deducamur à fide, aut de odio; vt Cicero pro Cælio, cum dicit, In quoddam odium sit iniustum vocatus. vel de liuore agere, tanquam apud malignolos; de timore loqui, tanquam apud timidos; de spe, cum vana spe sollicitare Iudices voluit. Affectus sibi aliquotiens vicini sunt: vt cum misericordia mouetur, statim & odium concitetur; aut vbi vtrumque non est, alterum tamen commouetur; aut liuor excitatur, si tamen appareat; aut spe animus Iudicis sollicitabitur. Hi tamen affectus certam sedem non habent: nam per totam orationem spargendi sunt. Cicero misericordiam mouet, cum dicit, Patres hi quos videtis, iacebant in limine, matresque miserè prouocabant ad ostium carceris. ad iram redit dum subiicit, Aderat ianitor carceris, carnifex P. R. mors terrorque fociorum. item ad misericordiam redit, Non vitam liberum, sed mortis celeritatem pretio redimere cogebantur parentes.

rursum

rursum odium mouet, Lætaris tu in omnium gemitu & triumphas. miscet quoque metum, Quo confugiunt focij? Affectus tunc maiorem gratiā habent, si ex his moueant quæ iam probata sunt. Affectus ex his trahitur: A re, à persona, à causā, à loco, à tempore, à signis, à facultatibus, à toto ad partes, à parte ad totum, à contrario, à minori ad maius, à maiori ad minus, à simili, & à barbaris gentibus, & à bestiis, & inanimalibus. ducitur & de ceteris locis, vnde argumenta sumuntur: nec te moueat, quod hinc & argumenta duci supra retulerim, siquidem illa omnia circumstantia, vnde ad conuincendum reum argumenta sumuntur. Inde etiam postquam crimen probaueris, affectus commouentur. Ante omnia illud considerandum est, vt cum aliqua res natura sui grauis fuerit, ipsa tantum sola inuidiam moueamus; ne aliquas rationes alias afferendo, res quæ per se grauis est, dubia videatur, quæ nunquam sola repetitione augetur: vt est illud, Matrem tuam cecidisti. repetito affectum, cum irascendum dico illi qui hominem occidit. A persona, dum queror magis etiam iugulatum. à causā dum officio in R. P. iungitur. à loco, cum dico in foro. à tempore, cum dico luce, palam. à signis: vt Cicero, Te prætor Siculi milites palmarum stirpibus, piratæ Siculo frumento alebantur. A toto ad partes, Inuidia facta est in R. P. vniuersa. Partis ad partes, Tempia Deorum immortalium, tecta

f F. moueantur.

b 4 urbium

urbium, vitam omnium ciuium, Italiam totam ad exitium & vastitatem vocas. A parte ad totum, vbi vnus puta ciuis læsus, tota Respub. læsa dicatur: vt est, Non tu hoc loco Granium, non vnum hominem nescio quem, sed communem libertatem in crucem egisti. A facultatibus: Cleomedes huius libidini nec aduersari poterat nec audebat. erat enim Prætor qui maximam habebat potestatem. inde Tullius traxit inuidiam. A contrario Cicero misericordiam mouet, cum dicit, Forteis & animosos & se acriter ipsos morti offerentes seruare cupimus, eorumque nos miseret qui misericordiam nostram non requirunt. Item à contrario: Si qui Deos colant laudantur, sacrilegi puniendi sunt. A pari, Qui parentes contemnit & Deos negligit. A consequenti, Qui semel deliquit semper maiora conatur. A repugnanti: vt Cicero de Antonio, Auunculum suum sceleratum esse fatebatur, pœna affectum querebatur. A minori ad maius, Serui, Hercule, mei si me isto pacto metuerent, quo te metuunt omneis ciues tui, domum meam relinquendam putarem, tu vel urbem non arbitraris? A maiori ad minus. Quò neque Atheniensium gloriosissimæ classes, cum mari plurimum poterat, bellis sæpè conatæ nunquam aspirare potuerunt; eone tandem P. R. pirata penetrauit? A simili, Eryphilam accepimus in fabulis ea cupiditate, vt cum vidisset munile (vt opinor) ex auro & gemmis, pulcritudine eius

Munile habebat αὐτό-
ματον &

incensâ

incensa, salutem viri perderet: similis est (inquit) istius cupiditas. A barbaris gentibus, Si tu apud Persas aut extrema India deprehensus ad supplicium ducereris, quid aliud clamares nisi te ciuem esse Romanum? Item à bestiis & inanimatis: vt Cicero, Denique si non ad homines, verum ad bestias aut etiam vt longius progrediar, si in aliqua desertissima solitudine ad laxa & scopulos hoc conqueri ac deplorare vellem: tamen omnia muta atque inanimata tanta tanque indigna rerum acerbitate mouerentur. Affectus hactenus crescunt, vt cum eum qui sit læsus occisum, qui sit improbus latronem nominemus. Si extollendum aliquid fuerit, ampliora verba ponenda sunt cum ipsis nominibus: vt Cicero, Non furem, sed ereptorem; non adulterum, sed oppugnatorem pudicitie; non sacrilegum, sed hostem sacrorum religionumque; non sicarium, sed carnificem crudelissimum ciuium, sociorumque, in vestrum iudicium adduximus. Item crescit affectus, vt cum vnum crimen sit, sententiæ ac verba vnum significantia aceruo quodam congeruntur: vt est, Quid enim tuus ille, Tubero, districtus acie Pharsalica gladius agebat? cuius latus mucro ille petebat? qui sensus erat armorum tuorum? que tua mens, oculi, manus, ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? Ergo alibi congeries multorum criminum Enumeratio est, hic vnus verbi facta multiplicatio. Similiter, Aderat ianitor carceris,

fortassis recte, vt quasi dilucidior sit ἐτυμολογία, nam videtur exinde munile dici, quod collū munit: munile vero quod hodie in usu est non ita illustrem habet originem, sed in rebus dubiis audacia non nunquam fraudi est. nil itaque affirmamus, hoc tantum agimus, vt ostendamus quam non sincere faciāt hi, qui forte in auctoribus aliquibus illius liberalius aliquid verbum vbi offendit, illud potius vel deprauat vel certe mutilum edunt.

b 5

carni-

carnifex Pratoris, mors, terror sociorum & ciuium Romanorum licitor, Sextius. Affectus tantò plus valet, quantò verbis infirmioribus extollitur, in argumentis enim enucleata diligentia, in affectibus autem grandiloquium quaeritur. Sunt etiam alij loci communes, qui magis ad causam ex periculi magnitudine, non ex causa incidunt, citò tamen principiis aprantur, vt misericordiam captent, cùm aut aduersariorum calumnias, factiones, solitudinem suscepti vel cetera eius infortunia memoramus: * vt pro Vareno, Amici defunt, cognati defunt, &c. aut cum accusatorum calumnias prodimus: vt in eodem loco, In inimicissima ciuitate vrgent, instant, insequuntur, studio, multitudine, pecunia pugnant. Contra species inueniendi hæc est, vt eum qui pulsauit attigisse, qui vulnerauit læsisse dicamus: vt Cicero. Quod † acu punctum inflictum videretur. Item, vxores suas à cœna redeuntes attractas esse. Namque affectus † nisi vim animi habeat, nullus est, nec proderit inuentus: vt Cicero de eodem, vt dolere, vt flere, vt ardere videamur.

DE EPILOGIS.

E Pilogos de omni causa capies, & maximè quam misericordiam mouere posse perspexeris: qui tamen erunt breues, nec diu perseverandi:

sequendi: nam lacrymis comparati sunt, quibus nil citius arefcit. Scire autem debes in omnibus ferè officiis caput esse artis, docere quod facias. Horum præterea natura præceptorum est, vt etiam obesse videantur † si mediocriter nota sint, quæ tunc infinitum proderunt, si animo frequentivsu insculpta permanferint.

† Forf. est

τέλος.



Sextius

Susceptus hoc in loco Clientem significare videtur, quem Pavonius in iudicio defendendum suscepit.
* Cic. pro Vareno.

† Forf. acu, punctum

† Forf. affectus qui.